



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTI  
1416.

semper Augusto, cuius specialiter interest, ad requisitionem ecclesie contritas & oppressas ecclesias restaurare, & ecclesiasticas personas a violentiis & iniuriis defensare, & eandem sententiam executioni demandare, & ceteris principibus ac Christi fidelibus, vt ad restitutionem dictae ecclesie & ciuitatis Tridentinae, & omnium bonorum & iurium ipsius, & eius integram libertatem & indemnitate seruandam, contra dictum Fridericum Austriae ducem, & alios occupatores & detentores praefatos, vt nostrum praefatum monitorium realem executionem obtineat, brachium impendant, fauorem & auxilium gladii & potentiae omnimodae saecularis. Decernit insuper haec sancta Synodus ad pleniorum executionem habendam, processum contra omnes intrusos & intrudendos in dicta ecclesia & ciuitate Tridentina, ac castris, oppidis, terris, villis, locis, possessionibus, iuribus & bonis eiusdem, & contra adhaerentes eidem duci Friderico & occupatoribus & detentoribus, ac intrusis & intrudendis, ac contra dantes auxilium, consilium aut fauorem. Quem quidem processum, etiam omnes & singulos processus necessarios & opportunos committit venerabili Petro episcopo Straguriensi, cum potestate subdelegandi, & aliis clausulis in forma debita & consueta, supplens quoque eadem Synodus omnem solennitatis defectum, si quis forsitan fuerit in praemissis. Lectis autem his, reuerendissimus dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis, iuxta consensum & voluntatem omnium nationum, & alias propter discordiam nationum, quoad ordinem, respondit pro vice praesenti per verbum, Placet.

SESSIO XXIX.

**A**NNO & indictione quibus supra, die vero Lunae octaua mensis Martii fuit celebrata sessio generalis in ecclesia Constantiensi, pro accusatione contumaciae domini Petri de Luna, Benedicti decimitertii in sua obedientia nuncupati: in qua reuerendus pater dominus Nicolaus episcopus Aquensis Missam de Spiritu sancto celebrauit, & reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctae Romanae ecclesiae cardinalis & vicecancellarius, praesedit. Litaniis autem aliis-

*Concil. Tom. 29.*

Yyy

*Math. 18.  
Luc. 17.*

que orationibus cum euangelio, *Dixit Iesus Petro, Si pec-  
cauerit in te frater tuus, &c.* completis, fuit seruatus iste or-  
do. Primo fuit lecta per dominum Stephanum episco-  
pum Dolensem schedula, cuius tenor sequitur in hunc  
modum.

ANNO  
CHRISTI  
1416.

*Deputatio procuratorum & notariorum in causa contra  
Petrum de Luna.*

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus consti-  
tuit & deputat dilectos ecclesie filios, magistros Ioan-  
nem de Scribanis & Henricum de Piro, & eorum quem-  
libet in solidum, ita quod non sit melior conditio occu-  
pantis, promotores, prosecutores & ministros causae &  
processus inquisitionis contra dominum Benedictum de-  
cimumtertium a sibi obedientibus nominatum, & insu-  
per omnes & singulos sedis apostolicae, & alios nationum  
in eadem sancta Synodo existentium notarios, & eorum  
quemlibet in solidum, notarios atq; scribas in causa & pro-  
cessu praedictis. Qua lecta, dominus cardinalis praesidens  
respondit pro toto Concilio, Placet. Quo facto, aduo-  
catus consistoralis, instantibus dominis prosecutoribus &  
ministis, proposuit decretum citationis per edictum, &  
illius executionem ad diem centesimum, qui illa die in-  
cidebat: & produxit bullam decreti citationis & instru-  
mentum executionis, asserens signa notariorum in instru-  
mento posita, esse signa illorum, quorum esse inscribun-  
tur in illis. Et accusauit contumaciam dicti domini Petri,  
& petiit illum alta voce vocari ad valuas ecclesiae, & ad  
hoc deputari duos ultimos cardinales diaconos, videlicet  
de Comitibus & Florentinum, duos sedis apostolicae, &  
alios Concilii notarios: & respondit praesidens pro toto  
Concilio, Placet. Tunc dicti cardinales & notarii iue-  
runt ad valuas ecclesiae: & reuersi, retulerunt per cardi-  
nalem Florentinum, illum vocasse trina vice alta voce,  
& neminem comparuisse. Et aduocatus consistoralis fa-  
cta relatione, petiuit iterum dominum Petrum reputari  
contumacem. Tunc cardinalis praesidens mandauit le-  
gi per episcopum Dolensem schedulam infra scripti te-  
noris.

ANNO  
CHRISTE  
1416.

*Ordinatio lecta super contumacia domini Petri de Luna.*

Hæc sacrosancta Synodus præmissa, proposita & petita per aduocatum consistorialem admittit, si & in quantum sint admittenda de iure: & mandat notariis eiusdem Synodi & causæ præsentis, proposita, petita & producta huiusmodi, atque vocationem & relationem præmissas. Et quod idem dominus Benedictus sic vocatus & sufficienter expectatus, minime comparuit, nec comparet, redigi inter acta. Et de præmissis fieri publica instrumenta, quotquot fuerint opportuna, vt eadem Synodus super præmissis deliberet, iudicet & decernat, prout de iure fuerit faciendum: quam deliberationem dicta Synodus sibi retinet faciendam, quando sibi visum fuerit opportunum.

Qua lecta, idem dominus præsidens pro toto Concilio respondit, Placet. Et quod vox præidentis sit vox totius Concilii, quando primo de consensu omnium nationum constiterit. Namque propter discordiam nationum Hispanicæ & Anglicanæ, quæ prior responderet pro toto Concilio, Placet: & de aliis prærogatiuis fuit per nationes & cardinales ordinatum, quod præsidens responderet pro toto Concilio, Placet. Et ad hoc super quolibet actu fiendo haberet consensum cardinalium, & schedulam illius actus signatam per notarios nationum, & conferret cum lectura quæ fieret.

SESSIO XXX.

*In qua Concilium approbat subtractionem obedientiæ factam per regem Aragonum ipsi Petro de Luna.*

**D**IE Mercurii decima supradicti mensis Martii fuit sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi solenniter celebrata. In qua quidem sessione reuerendus pater dominus \* Stephanus episcopus Cephaldulensis officium Missæ de Spiritu sancto deuote decantauit: & reuerendissimus in Christo pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, huiusmodi sessioni præsedit. Interfuit etiam serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ rex, cum multis sibi adstantibus principibus. Et lectis litanis, ac aliis deuotis orationibus cum euange-

*Concil. Tom. 29.*

Yyy ij

\* Anto-  
nius